

P R A E F A T I O.

Cartesiana Philosophia eradicanda, quamvis cum ad Irem perventum
eligendusque, qui prius falsitatem illius solidè demonstraret, nullus
inveniretur qui suos humeros tanto oneri pares esse auderet judica-
re. Ideoque cum nullus primum lapidem in innocentem hanc
Philosophiam conjicere auderet, intacta mansit, atque in alta pace à
prælaudato Dn. *Claubergio* ejusque Successoribus longè latèq; pro-
pagata fuit. Judicium autem ejus, quod de utraque Philosophia
hoc libello fert, idcirco magis maturum & incorruptum est, quòd in
utraq; optimè versatus fuerit, quamvis jam in ipso cursu Studii sui
Philosophici, quem in Scholastica Philosophia, directore Viro Cla-
rissimo *Gerhardo de Neufuille* in Illustri Bremensium Gym-
nasio Philosophiæ Professore Celeberrimo, fecit, hujus Philosophiæ
fundamenta non esse omnium firmissima adverteret, præeunte hoc
Præceptore suo fidelissimo, qui Scholasticorum Sententiis mordicè
non inhærebat. Hoc autem ipsi profuit, ut, cum *Lux Cartesiana* ipsi
affulgere cœpit, non ita ad illam, sicuti solent illi, qui autoritate
Scholasticorum Autorum planè occæcati sunt, id instar bubonis
cœcutiret, sed eam faciliùs intromitteret. Fatetur hoc ipse *Clau-
bergius* in *Logica sua veteris & novæ Epistola dedicatoria* ad Virum Cele-
berrimum & Amplissimum *Tobiam Andream*, Historiarum &
Græcæ Linguæ in Academia Groningo-Omlandica Professore,
Philosophum & Philologum Excellentissimum his verbis: *Inter be-
neficia autem, quibus me tibi obstrinxisti, facile primas tenet, quòd verioris
Philosophiæ accuratius examinandæ penitusque cognoscendæ præcipuus mihi
auctor exististi.* Equidem cum Brema, diversis tamen temporibus, usui fuimus
communi Præceptore, *Gerhardo de Neufuille*, qui Scholasticorum, quos vocant,
non perpetuò hærens vestigiis solidiora quædam docuerat, multò proniores,
quàm vulgarium Scholarum Philosophiæ mancipata ingenia esse solent, ad no-
vam Lucem admittendam ambo eramus. Sed tu, quemadmodum atate, eru-
ditione, multique aliis partibus major me, ita hac etiam felicior, quòd prior
eam vidisti, mihi que comiter viam ad eandem monstrasti, *Philosophiam
Renati des Cartes* serio atq; diligenter ut examinarem hortatus. Quã-
obrem tuum secutus Consilium contuli me Lugdunum Batavorum, ubi non
sine insigni Studiorum emolumento cognitus mihi communis amicus *Johan-
nes de*